Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25938
Copyright: Admont, Benediktinerstift



narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non ut lex tua. Omnia mandata tua veritas iniqui persecuti sunt me. Paululum consummaverunt me in terra. Ego autem non dereliqui mandata tua. Secundum misericordiam tuam vivifica me: et custodiam testimonia oris tui. In aeternum domine verbum tuum permanet in celo. In generatione et generationem veritas tua fundasti terram: et permanet. Ordinatione tua perseverat dies: quoniam omnia serviunt tibi. Nisi quod lex tua meditatio mea est: tunc forte pressem in humilitate mea. In aeternum non obliviscar iustificationes tuas: quia in ipsis vivificasti me. Tuus sum ego salvum me fac: quoniam iustificationes tuas exquisivi. Me exspectaverunt peccatores ut perderent me: testimonia tua intellexi. Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis. Quomodo dilexi legem tuam domine: tota die meditatio mea est. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in aeternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi: quia mandata tua quesivi. Ab omni via mala prohibui pedes meos: ut custodiam verba tua. A iudiciis tuis non declinavi: quia tu imposuisti mihi. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel ori meo. A mandatis tuis intellexi: propterea odivi omnem viam iniquitatis. Lucerna pedibus meis verbum tuum: et lumen semitis meis. Iuravi et statui custodire iudicia iustitiae tuae. Humiliatus sum

quaque domine vivifica me secundum verbum tuum. Voluntaria oris mea beneplacita fac domine: et iudicia tua doce me. Anima mea in manibus meis semper: et legem tuam non sum oblitus. Posuerunt peccatores laqueum mihi: et de mandatis tuis non erravi. Hereditate acquisivi testimonia tua in aeternum: quia exultatio cordis mei sunt. Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum: propter retributionem. Iniquos odio habui: et legem tuam dilexi. Adiutor meus et suscceptor meus es tu: et in verbum tuum speravi. Declinate a me maligni: et scrutabor mandata dei mei. Suscipe me secundum eloquium tuum et vivam: et non confundas me ab exspectatione mea. Adiuva me et salvus ero: et meditabor in iustificationibus tuis semper. Spreuisti omnes discedentes a iustificationibus tuis: quia iniusta cogitatio eorum. Prevaricantes reputavi omnes peccatores terre: ideo dilexi testimonia tua. Confige timore tuo carnes meas: a iudiciis enim tuis timui. Feci iudicium et iustitiam: non tradas me calumpniantibus me. Suscipe servum tuum in bonum: ne calumpnientur me superbi. Oculi mei defecerunt in salutare tuum: et in eloquium iustitiae tuae. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam: et iustificationes tuas doce me. Servus tuus sum ego: da mihi intellectum: ut sciam testimonia tua. Tempus faciendi domine: dissipaverunt legem tuam. Propterea adamavi mandata tua super aurum et topazion. Propterea ad omnia man